

„substantia peccatum; eo tamen natura animæ corrumpitur.“

Quod peccatum proprie corruptio animæ est, & quomodo.

Peccatum vero, idest culpa, proprie animæ corruptio est. Si autem queritur in quo possit corrumpi anima, in parabola illius qui incidit in latrones, qui eum spoliaverunt, & vulneraverunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli trahitur; & tunc per peccatum spoliatur gratuitis donis, idest virtutibus, & in naturalibus bonis vulneratur, quæ sunt ratio, intellectus, memoria, & ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur, & vitiantur. Per peccatum etiam privatur illo bono cuius participatione cætera bona sunt: quo tanto magis privatur, quanto magis se ab eo longat.

Qualiter homo se elonget à Deo, scilicet per dissimilitudinem quam facit peccatum.

AB eo (5) autem se elongat (6) per peccatum, non loci distantia: quia ubique totus, & præsens est omnibus, & omnia in ipso sunt, ut ait Augustinus in Libro de LXXXIII. Quæstionibus, quæst. xx. & ipse locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei: non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit, & inhabitans. Id autem anima munda intelligitur. Per peccatum igitur non secundum locum aliquis longe fit à Deo: (7) sed in eo longe fit quod ab eius similitudine recedit; & tanto longius, quanto fit dissimilior. Illa autem, ut ait Augustinus in Lib. de LXXXIII. Quæstionibus, quæst. xxxiii. quæ participatione similia sunt Deo, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit ut cum similitudo Patris Filius sit, ex nulla parte possit esse dissimilis: cuius participatione similia sunt quæcumque Deo similia sunt, & illa possunt recipere dissimilitudinem. Nihil est autem quod hominem à Deo dissimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit corruptio, vel privatio boni, quæ est in anima; est etiam privatio, & corruptio boni corporis; sicut corpus hominis (8) privavit beneficio illius immortalitatis, & impassibilitatis quam habuit ante peccatum.

An pœna sit privatio boni.

Quari autem solet, utrum & pœna sit privatio, vel corruptio boni. Ad quod facile responderi potest, si prædicta ad memoriam revocentur. Diximus enim supra, privationem, vel corruptionem boni accipi active, vel passive, idest secundum efficientiam, vel effectum. Ideoque privatio, vel corruptio boni dicitur & peccatum, & pœna: sed peccatum secundum efficientiam, quia privat, vel corrumpit bonum; pœna autem secundum effectum, idest secundum passionem, quæ est effectus peccati. Aliud est enim pœna, aliud culpa: alterum est Dei, idest pœna; alterum diaboli, vel hominis est, idest culpa.

DIVISIO TEXTUS.

Quia in peccato actuali duo considerantur, scilicet defectus, ex quo rationem mali habet, & substantia actus, secundum quam actuale peccatum dicitur; determinato de peccato actuali, secundum quod habet rationem mali, hic incipit determinare de eo quantum ad substantiam actus, in qua defectus fundatur, secundum quem malum dicitur: & dividitur in partes duas. In prima determinat de peccato quantum ad actum; in secunda de potentia, quæ est ad actum peccati, XLIV. distinct. Post prædicta consideratione dignum occurrit, utrum peccandi potentia sit nobis à Deo. Prima dividitur in duas. In prima determinat de peccato in generali; in secunda descendit ad peccatorum differentias, XLII. distinct. Cum autem voluntas mala, & operatio sint peccatum, queritur, utrum in eodem homine, & circa eandem rem hæc duo unum sint peccatum. Prima dividitur in duas. In prima determinat de actu peccati in generali. Sed quia actus peccati vel est interior voluntatis, vel est exterior operis; ideo in secunda parte descendit ad utrosque actus, xxxviii. distinct. Post prædicta, de voluntate, ejusque fine disserendum est. Prima dividitur in duas. In prima prosequitur opinionem quorundam dicentium, actus peccatorum à Deo esse. In secunda ponit opinionem contrariam, xxxviii. distinct. Sunt autem alii plurimi aliter longe de peccato, & de actu sentientes. Prima dividitur in duas. In prima prosequitur opinionem eorum qui dicunt, omnes actus ex Deo esse. In secun-

(5) Al. à Deo. (6) Al. additur homo. (7) Al. & in eo. (8) Al. privatum. (9) Al. de operatione.

dictis colligitur, atque infertur &c.

Quibus opponitur. Si omnia &c. Hic excludit objectiones quæ contra hanc opinionem possunt esse: & dividitur in tres, secundum tres objectiones. Prima sumitur ex his actibus qui mox nominati in malum sonant, ut homicidium &c. Secunda ex omissionibus, quæ actum habere non videntur, ibi: *Item aliter eis opponitur.* Tertia ex comparatione pœnæ ad culpam, ibi: *Etiam queri potest.* Et dividitur in partes duas. In prima ponit objectionem, & solvit eam, ostendens quod aliter est corruptio boni culpa quam pœna. In secunda movet quasdam quæstiones ex solutione occasionatas, ibi: *Sed cum nihil sit, in quantum peccatum est, quomodo potest bonum corrumpere, vel adimere?* & circa hoc duo facit. Primo inquit, quomodo culpa possit esse corruptio active. Secundo quomodo, pœna sit corruptio passive, ibi: *Queritur autem solet, utrum & pœna sit privatio, vel corruptio boni.* Circa primum tria facit. Primo ostendit bonum, per quod malum culpæ active corruptio dicitur. Secundo ostendit cuius boni sit corruptio, ibi: *Peccatum vero, idest culpa, proprie animæ corruptio est.* Tertio exponit quoddam quod dixerat, scilicet qualiter aliquis à Deo elongetur, ibi: *Ab eo se elongant per peccatum.*

QUÆSTIO I.

HIC queruntur quinque.

Primo. De divisione mali in culpam, & pœnam.

Secundo. De definitione culpæ.

Tertio. Si omnis culpa in actu consistit.

Quarto. Si in actu interiori tantum, vel in exteriori.

Quinto. Si culpa est corruptio potentiarum animæ.

ARTICULUS I.

Utrum malum dividatur sufficienter per malum culpæ, & pœnæ.

I. P. q. XLVIII. art. 5. & de mal. q. 1. a. 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non sufficienter malum per culpam, & pœnam dividatur. Malum enim nihil aliud est quam defectus boni. Sed omne quod invenitur alio minus bonum, non est sine defectu alicujus boni. Ergo omne quod est minus bonum, est etiam malum. Sed omnia creata sunt minus bona. Cum ergo mixta creature sint in quibus non est pœna, neque culpa, videtur quod malum non sufficienter per pœnam, & culpam dividatur.

Præterea. In illis quæ non habent dominium sui actus, malum culpæ esse non potest. In quibus autem culpa non est, nec pœna est, quia pœna culpæ debetur. Cum ergo multa sint quæ voluntatem non habent, & ita nec dominium sui actus, in quibus tamen est aliquid malum, ut in rebus insensibilibus patet; videtur quod malum non sufficienter per pœnam, & culpam dividatur.

Præterea. Augustinus dicit (de moribus Manichæ, cap. 111.) quod malum ideo dicitur, quia nocet. Sed omne quod nocet, pœna est. Ergo omne malum aliqua pœna est. Ergo non convenienter aliquid

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Colligitur ex Lib. I. de lib. arb. cap. 1. & contra Adimantum, cap. xxvii. ut & ex Fulgentio, Lib. de Fide ad Petrum, cap. xxi.

malum contra pœnam dividitur.

4. Si dicatur, quod pœna nocet passive, sed culpa nocet active; contra. Passio est effectus, illatioque actionis. Si ergo pœna est nocumentum passivum, & culpa nocumentum activum, omnis pœna erit illatio quædam culpæ; & ita omnis qui pœnam infert, culpam perpetravit: quod hæreticum est, quia sic ordo justitiæ deperiret.

5. Præterea. Aliqua pœna est quæ tantum in negatione consistit, ut carentia visionis divinæ. Sed passio non est tantum negatio, immo est aliquid ens positive dictum, cum sit unum de decem generibus. Ergo non omnis pœna est nocumentum passive dictum.

6. Præterea. Quædam culpæ sunt in quibus nullus actus consistit, ut patet præcipue in culpa originali. Sed nihil nocet active nisi per actionem aliquam. Ergo non omnis culpa est nocumentum activum.

Sed contra est quod Augustinus (a) dicit: *Omne malum nostrum est vel quod agimus, vel quod patimur.* Sed malum quod agimus, culpa est, malum quod patimur, pœna est. Ergo malum per culpam & pœnam dividitur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, malum per se loquendo privatio quædam est alicujus boni; bonum autem in perfectione, & actu consistit: unde oportet secundum distinctionem perfectionum, distinctionem malorum esse. Est autem duplex actus, vel perfectio, scilicet actus primus, & secundus. Actus primus est ipsa prima forma, actus secundus est operatio: & ideo ex privatione utriusque perfectionis diversæ mali differentia consurgunt. Si enim privetur aliqua forma, vel perfectio alicujus rei naturalis, dicitur esse malum naturæ; si autem privetur perfectio operationis, dicitur esse peccatum; quia ut in II. Physic. text. lxxxiii. dicitur, peccatum est in his quæ nata sunt finem consequi, cum non consequuntur. Quælibet autem res per suam operationem finem suum nata est consequi: unde oportet quod peccatum in operatione consistat, secundum quod non est directum ut finis exigit; secundum quod Grammaticus non recte scribit, nec parat recte Medicus potionem. Sed, ut in VI. Metaph. text. 1. dicitur, bonum, & malum quodam speciali modo est in his quæ per electionem agunt; quæ rationem finis cognoscunt; & finem sibi determinare possunt: & ideo peccatum in talibus, quamdam specialem mali rationem accipit, ut scilicet peccatum in eis etiam culpa dicatur: unde peccatum in pluribus quam culpa est: quia, ut ex II. Physic. ubi supra habetur, peccatum est & in his quæ secundum naturam sunt, & in his quæ sunt secundum artem; sed culpa non potest esse nisi in his quæ per voluntatem sunt: nihil enim culpæ rationem obinet, nisi quod vituperabile est; neque vituperium alicui debetur, propter ipordatum actum; nisi ille actus suo dominio subiaceat. Habere autem dominium super suos actus, ut scilicet possit facere, & non facere, voluntatis proprium est. Unde culpa super peccatum addit ut sit voluntatis actus. Similiter etiam malum naturæ in electionem habentibus specialem quamdam rationem mali accipit, scilicet rationem pœnæ; in quantum voluntas defectui dissen-

ut: unde omnis poena malum naturae est: dicit enim poena malum, ut Augustinus dicit de moribus Manich. cap. 111. quia natura bona nocet, in quantum subtrahit sibi id per quod natura perficitur, vel in suo esse naturali, ut caecitas, vel in naturae superadditis, ut subtractio gratiae, vel huiusmodi. Quidam tamen dicunt, quod etiam in brutis defectus rationis rationem poenae sortitur; sed melius videtur ut poena non sit, nisi ubi culpa esse potest. Et ita patet quod malum rationalis creaturae sufficienter, & convenienter per poenam, & culpam dividitur.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen defectus potest sumi vel negative, vel privative. Si sumatur negative, sic non omne quod habet defectum alicujus boni, continuo malum est: quia malum privatio est, unde non est nisi defectus ejus quod quis natus est, & debet habere. Si autem privative, sic patet quod non omne quod caret aliquo bono, defectum habet: non enim est defectus in lapide quod non videt. Unde patet quod ratio procedit ex aequivocatione huius nominis defectus.

Ad secundum dicendum, quod culpa, & poena non sunt differentiae mali absolute sumpti, sed mali secundum quod est in habitibus electionem, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod nocere dicitur dupliciter, scilicet effective, & formaliter. Formaliter autem nocere dicitur ipsum nocendum, sive ipsa ademptio boni, vel privatio, sicut albedo facit album; & sic omne quod nocet, poena est in his quae nata sunt poenam subire. Si autem sumatur effective, sic dicitur nocere id quod causat privationem alicujus perfectionis in re; & hoc modo culpa nocet, quia per actum deordinatum auferitur aliqua perfectio, scilicet gratia: & tamen ipsa privatio gratiae poena est: & hoc est quod Magister dicit, quod culpa est corruptio boni active, quia scilicet malum culpae consistit in defectu actus, secundum quod deficit a debito fine, & debitis circumstantiis: & iste actus deficiens agit, vel efficit in anima privationem gratiae: & ipsa privatio gratiae passive accepta, poena est.

Ad quartum dicendum, quod omnis poena quaedam corruptio est ab aliquo agente inducta: & quamvis culpa sit quid activum corruptionis, non tamen omne activum corruptionis culpa est: & ideo non oportet quod omnis qui poenam infert, culpam incurrat.

Ad quintum dicendum, quod passio potest sumi dupliciter, vel quantum ad naturam rei, prout Logicus; & Naturalis passionem considerat; & hoc modo non oportet omnem poenam passionem esse, sed quaedam poenam, scilicet poenam sensus: vel quantum ad modum significandi, prout Grammaticus considerat; & sic illud passive dicitur quod a verbo passivo derivatur: unde privatio qua aliquis privatur aliquo, dicitur privatio passiva; & privatio qua aliquis privat, dicitur privatio activa: & hoc modo sumendo passionem, omnis poena est corruptio, vel privatio passiva.

Ad sextum dicendum, quod non dicitur culpa corruptio activa, quia in actu consistat, sed magis quia corruptionem agit; & ideo obiectio non procedit: contingit enim per id quod non est actus, effici, vel induci privationem passive dictam. Utrum tamen in omni culpa operatio requiratur, postea dicetur.

(1) Nicolai addit dicendum. (2) Al. sicut instrumentum, & justitia sicut illum inclinans. (3) Nicolai omittit quod fit.

ARTICULUS II.

Utrum diffinitiones peccati hic posita, sint convenientes.

1. 2. q. lxxxii. art. 3.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum inconvenienter in proposito diffiniatur. Illud enim quod diffinitur, oportet aliquid esse: quia quaestio an est praecedat quaestionem quid est; & iterum omne quod diffinitur, essentiam habet, cum diffinitio essentiam rei significet. Sed secundum Augustinum, super Joan. cap. 1. peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Ergo diffiniri non potest.

2. Praeterea. Diffinitio debet converti cum diffinito. Sed diffinitiones hic datae de peccato, non conveniunt omni peccato, ut in littera dicitur. Ergo inconvenienter assignatae sunt.

3. Praeterea. In diffinitione superioris non debet poni inferius. Sed concupitum, vel dictum, vel factum est inferius quam peccatum: quia omne factum contra legem Dei est peccatum; sed non convertitur. Ergo inconvenienter assignatur descriptio ex posterioribus secundum naturam.

4. Praeterea. Speciali virtuti speciale peccatum opponitur. Sed justitia est quaedam virtus specialis. Ergo peccatum non debet diffiniri universaliter sumptum per oppositionem ad justitiam.

5. Praeterea. Obedientia est quaedam specialis virtus. Sed obedientiae opponitur inobedientia. Ergo & inobedientia erit speciale peccatum. Cum ergo species in diffinitione generis poni non debeat, videtur quod inconvenienter peccatum universaliter sumptum, per inobedientiam diffiniatur.

SOLUTIO.

Respondeo, (1) quod, sicut dictum est, peccatum dicit malum quod in operatione consistit: unde ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus, & ipse defectus, ex quo ratio mali nascitur. Defectus autem ille qui causat rationem mali, in peccato, ut dictum est, est defectus rectitudinis in actu, per quam dirigebatur in finem. Finis autem rationalis naturae ultimus, quem praecipue Theologus considerat, est ipsa beatitudo aeterna; ad quem finem lex divina nos dirigit (2) sicut instruens, & justitia sicut in illum inclinans: & ideo peccatum tripliciter hic describitur. In prima enim descriptione tangitur substantia actus in ordine ad instrumenta quibus actus exercetur, cum dicitur: *dictum, vel factum, vel concupitum*; & tangitur privatio illius dirigentis quod instruendo dirigit, scilicet legis, cum dicitur, (3) quod fit *contra Domini legem*. In secunda autem descriptione tangitur substantia actus ex parte obiecti, in hoc quod dicitur: *Voluntas retinendi, vel consequendi*; & privatio illius dirigentis quod in finem inclinat per modum habitus, in hoc quod dicitur: *Quod justitia vetata*. In tertia autem descriptione tangitur illud quod est formale in peccato, ex quo rationem mali habet, scilicet privatio dirigentis in finem, in hoc quod dicitur, *Pravaricatio legis divinae*; & deordinatio ab ipso fine, in hoc quod dicitur: *Caelestium inobedientia praceptorum*.

Ad (1) Nicolai addit dicendum. (2) Al. sicut instrumentum, & justitia sicut illum inclinans. (3) Nicolai omittit quod fit.

ARTICULUS III.

Utrum in omni peccato sit aliquis actus.

1. 2. quaest. xii. art. 4.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod omne peccatum in actu consistat, etiam peccatum omissionis. Peccatum enim est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, ut dictum est. Sed in hoc quod dicitur, *dictum, vel factum, vel concupitum*, tangitur aliquis actus. Ergo etiam peccatum omissionis in aliquo actu consistit.

2. Praeterea. Omne peccatum vel est originale, vel actuale. Sed ommissio non est originale peccatum, quia originale aequaliter in omnes transit qui per concupiscentiam generantur; non autem in omnibus est peccatum omissionis. Ergo oportet quod sit actuale. Sed actuale ab actu dicitur. Ergo omissionis peccatum aliquem actum significat.

3. Praeterea. Quicumque se habet similiter nunc & prius, non magis nunc quam prius peccat. Sed aliquis qui nihil agit, similiter se habet nunc & prius. Si ergo aliquando talis peccat, continue, dum actum illum non agit, videtur peccare. Hoc autem inconvenienter est, quia sic peccatum omissionis quodlibet gravissimum esset. Ergo peccatum omissionis non est, si aliquis omnino nihil agit; sed oportet quod sit in eo aliquis actus.

4. Praeterea. Demeritum opponitur merito. Sed meritum non potest esse nisi per actum. Cum ergo opposita ad idem genus reducuntur, videtur quod omne peccatum, & demeritum in actu aliquo consistat.

5. Praeterea. Augustinus dicit (de vera Relig. cap. 1.) quod omne peccatum est voluntarium. Si ergo ommissio est peccatum, videtur quod saltem actum voluntatis in ea esse oporteat.

6. Praeterea. Sicut supra dictum est, malum esse non posset, nisi esset bonum, in quo malum consistenter. Sed ubi nullus est actus, non invenitur aliquid bonum, in quo deformitas peccati fundetur. Ergo videtur quod non possit esse aliquod peccatum in quo non sit aliquis actus.

Sed contra. Ambrosius dicit in littera ex Lib. I. de Parad. cap. viii. *Peccatum est pravaricatio legis divinae, & caelestium inobedientia praceptorum* (1).

Praeterea. Praeceptorum quaedam sunt affirmativa, quaedam negativa. Cum ergo aliquis nihil agendo inobediens divinis praecipis affirmativis existat, videtur quod peccatum omissionis possit esse ubi non est aliquis actus.

Praeterea. Nihil juste punitur nisi peccatum. Sed ei qui non facit quod praecipitur est sibi, etiamsi nullum actum facit, juste poena infligitur. Ergo etsi nullum actum agat aliquis, nihilominus omittendo peccat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod omne peccatum oportet aliquo modo in actu consistere, non tamen eodem modo. Peccatum enim originale sicut rationem culpae habet ex hoc quod voluntarium est, non

(1) Haec ad huius loci marginem notat Nicolai. Suppleri autem, vel subsumi oportet. Sed pravaricatio, vel inobedientia sonant negationem actus, & non includunt actum aliquem positivum. Ergo non in omni peccato debet esse aliquis actus.

quidem voluntate propria, sed voluntate alterius; ita etiam rationem peccati habet ex hoc quod per actum alterius inductum est. Sed peccata actualia etiam in actu proprio illius in quo sunt, consistunt: & hoc quidem planum est in his qui per commissionem peccant. Utrum autem in peccato omissionis sit aliquis actus a potentia elicitus, super hoc duplex opinio est. Quidam enim dicunt, quod in peccato omissionis semper oportet aliquem actum esse, per quem aliquis retardatur ab expletionem mandati, vel precepti, sive interioris voluntatis, ut cum aliquis vult precepto non obedire, sive exteriori, ut cum aliquis facit aliquem actum per quem ab expletionem precepti impeditur: & ponitur exemplum de illo qui nimis vigilat, & non potest surgere hora debita. Sed ista opinio non videtur necessitatem habere: cum enim voluntas libera sit, nec ad aliquid faciendum, vel non faciendum determinetur; potest hoc modo prætermittere aliquid quod ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec etiam de aliquo alio quod sit per se impedimentum ejus quod facere tenetur: etsi enim aliquid velit quod, quantum est in se, non est impedimentum expletionis precepti, sicut oppositum, constat quod ex hoc quod vult illud, non peccat, quia illud potest esse secundum se licitum; sed peccat in eo quod prætermittit id quod facere debet. Ergo constat quod ille actus vel exterior vel interior per accidens ad peccatum omissionis pertinet; & ita in eo deformitas omissionis non fundatur: nec iterum in actu contrario precepti: quia positum est quod talis actus non sit, cum voluntas possit in neutrum oppositorum ferri, sicut etiam Deus nec vult mala fieri, nec vult mala non fieri. Nec alicui dubium est quod aliquo sic se habente per omissionem peccat, quia juste punitur ex hoc quod preceptum non implet: unde patet quod peccatum omissionis in sola negatione actus debiti consistit. Et hæc est alia opinio. Sed quia opposita idem genus reducuntur ideo ommissio actus, peccati rationem consequitur ex eo quod voluntaria est; sicut & actus voluntarius rationem peccati, & culpæ habet: & huic etiam consonant verba Philopsohi in III. Ethic. c. 1. ubi ostendit negligentiam sciendi, vel faciendi aliquid, juste a legibus puniri, ex hoc quod sicut in potestate hominis est facere aliquid, ita & non facere: unde sicut pro eo quod indebite facit, juste punitur; ita pro eo quod indebite dimittit.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dictum est, opposita reducuntur in idem genus: in quo vel utrumque est per se, ut patet in contrariis, & relativis; vel unum est per se, & alterum per reductionem, ut patet in privatione, & habitu, & affirmatione, & negatione: unde habitum est in xxviii. distinct. I. Libri ab Augustino, quod in eodem genere est genitus, & non genitus: & ideo in dicto excluditur etiam ommissio dicti, & in facto ommissio facti, & sic de aliis. Non enim hoc habet dictum, in quantum est affirmative dictum, ut sit peccatum; sed in quantum est in voluntatis potestate, a rectitudine finis exiens. In hoc autem convenit cum dicto affirmativo etiam non decere, quod similiter est in potestate voluntatis, & a recto ordine exiens finis.

Ad secundum dicendum, quod peccatum omissionis non est peccatum originale, sed actuale: nec dicitur actuale, quasi in aliquo actu existat, sed quia ad genus actus reducitur, cujus negatio est; sicut Augustinus ingenitum in genere relationis ponit, ut

(1) Al. consisteret.

habitu est in I. Libro dist. xxxviii. & iterum sicut actus est in potestate voluntatis, ita & negatio ejus.

Ad tertium dicendum, quod ommissio non est peccatum nisi secundum quod precepto affirmativo opponitur. Preceptum autem affirmativum obligat semper, sed non ad semper, sed ad aliquod tempus determinatum: & ideo in illo tempore tantum ad quod preceptum affirmativum obligat, aliquis reus omissionis tenetur.

Ad quartum dicendum, quod malum pluribus modis contingere potest quam bonum, ut patet per Dionysium ex iv. cap. de divin. Nomin. & Philosophum in II. Ethic. cap. vii. non enim bonum (1) consistit, nisi omnia quæ ad perfectionem rei exiguntur, conveniant; quodcumque autem eorum subtrahatur, conveniant; ratio mali incidit: & ideo meritum, quod est quasi quoddam iter in finem beatitudinis, esse non potest, nisi sit operatio, & operationis rectitudo; sed sive desit rectitudo in ipsa operatione, sive desit ipsa operatio, erit demeritum, quod est recessus a fine: quod etiam patet in corporalibus: quia locum corporalem nihil acquirit nisi per motum ordinatum in locum illum: potest autem locum illum amittere quod est extra proprium locum, dupliciter; sive non moveatur, sed quiescat; sive moveatur motu indebito.

Ad quintum dicendum, quod ommissio est voluntaria non quasi actu voluntatis in ipsam transeunte; sed quia in voluntatis potestate est actum non facere sicut & facere: & ideo sicut actus dicitur voluntarius, quia est in potestate voluntatis, ita & ommissio actus.

Ad sextum dicendum, quod oportet quod malum semper in bono subsistat; non tamen oportet quod illud bonum in quo malum subsistit sit actus: & ideo dico, quod malum omissionis non fundatur in aliquo actu, sed in potentia, quæ actum producere potest.

ARTICULUS IV.

Utrum in actu exteriori sit peccatum.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatum non consistat in actu exteriori. Quia ut in Libro de somn. & vigil. cap. 1. dicitur, cujus est potentia, ejus est actus; & eadem ratione cujus est habitus, ejus est actus. Sed habitus virtutis, vel vitii non est in corpore, sed in anima. Ergo nec actus peccati erit actus corporis, sed animæ.
2. Præterea. Ei qui vitare peccatum non potest, peccatum non est imputandum. Sed sicut gladius non potest vitare quin occidat, motus ab homine; ita etiam manus, vel aliquod membrum non potest vitare quin actum exequatur quem voluntas imperat. Ergo peccatum in actu exteriori membrorum non consistit.
3. Præterea. Actus voluntatis medius est inter actum intellectus, scilicet cogitationem, & actum exteriorum membrorum; & magis unitur voluntati intellectui quam etiam ipsis membris. Sed cogitatio pure speculativa de aliquo, quantumcumque malo, non est peccatum. Ergo multo minus in exteriori actu peccatum erit.
4. Præterea. Illud quo posito, vel remoto, nihilominus est peccatum, non videtur in se deformitatem

rem peccati continere. Sed sive sit actus exterior, sive non, dummodo adsit voluntas completa aliquod malum perpetrandi, peccatum perficitur, & imputatur ad mortem. Ergo actus exterior deformitatem non continet.

5. Præterea. Illud quod est tantum ad manifestationem bonitatis, vel malitiæ, non videtur per se actus malitiæ, vel virtutis esse. Sed ut in X. Ethic. cap. vi. Philosophus innuere videtur, exteriores actus sunt tantum ad manifestationem virtutis, & eadem ratione sunt ad manifestationem vitii. Ergo in actibus exterioribus non consistit peccatum.

Sed contra. Servire peccato est peccare. Sed membra exteriora peccato servire dicuntur, ad Rom. vi. 19. Sicut exhibuistis membra vestra servire inmunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem. Ergo in actu exteriori membrorum peccatum consistit.

Præterea. Nihil prohibetur lege divina nisi peccatum. Sed lex divina non tantum prohibet actus interiores, sed etiam exteriores; adeo ut de his etiam diversa præcepta dentur, ut patet Exod. xx. 14. & 17. Non mæchaberis, & non concupiscas uxorem etc. Ergo non solum in actu interiori, sed etiam exteriori peccatum consistit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in omnibus agentibus ordinatis hoc commune est quod id quod est motum ab alio, sicut instrumentum a proprio agente, in actu suo consequitur conditionem primi agentis quantum potest. Cum ergo in omnibus actibus hominis principalitatem obtineat voluntas, eo quod ipsa tamquam liberissima omnes potentias in actus suos inclinet, oportet quod in actibus humanis conditio voluntatis salvetur, in his videlicet qui ad imperium voluntatis fiunt; & inde est quod cum voluntatis sit proprium ut dominium sui actus habeat, hoc etiam in cæteris quæ a voluntate sunt mota, invenitur secundum quod ejus conditionem consequi possunt; potest enim intellectus considerare; & non considerare prout a voluntate est motus; & similiter est de concupiscibili; & hoc usque ad actus exteriores moviæ virtutis extenditur, ut possit homo ambulare, vel non ambulare, loqui, vel non loqui, & sic deinceps. Sed quia in hoc consistit ratio meriti, & demeriti, laudis, & vituperii, quod id bonum, vel malum quod agitur, in potestate agentis est; inde est quod actus voluntatis primo rationem peccati, & culpæ habet; & consequenter alii actus a voluntate imperati; & hoc modo etiam in actibus exterioribus deformitas culpæ consistit. Sed quia actus semper attribuitur primo agenti potius quam instrumento, sicut secare artificii potius quam serræ; ideo quidam considerantes, quod actus a voluntate imperati non habent rationem culpæ nisi a voluntate, dixerunt, peccatum tantum in actu voluntatis interiori esse; alii vero considerantes tam illud in quo primo est ratio culpæ, quam illud in quo secundo est, dixerunt, tam actus interiores, quam exteriores peccata esse; & utrique considerabant peccatum non solum quantum ad illud quod est formale in ipso, unde rationem mali habet, scilicet aversionem; sed etiam quantum ad conversionem, quæ est materiale in peccato. Sed quidam considerantes solum illud quod

In II. Sent. Tom. II. (1) Al. producere.

formale est in peccato, scilicet defectum, unde rationem mali habet, dixerunt, neque actus interiores, neque exteriores peccata esse. Inter quas verior est opinio quæ dicit, quod in utroque sit peccatum: quia plenam considerationem peccati habuit ista opinio, considerans peccatum quantum ad id quod est formale in eo, & quantum ad id quod est materiale; non solum quod primo deformitatem peccati continent, sed etiam quod secundo.

Ad primum ergo dicendum, quod ex habitu virtutis, & vitii informatur substantia actus; unde oportet habitum virtutis, & vitii esse in ratione, ex qua ratio culpæ, & meriti procedit; & non in corpore, quod substantiam actus exequendo ministrat. Veldicendum, quod actus exterior non immediate procedit ab habitu, sed mediante actu interiori; & ideo sequitur quod in actu exteriori non sit primo ratio peccati; sed non sequitur quod nullo modo.

Ad secundum dicendum, quod percutere non est actus manus, sed est actus hominis per manum; actus enim individuum sunt; & ideo culpa manus non imputatur, sed homini, propter actum quem per manum exercuit, qui ab eo vitari potuit.

Ad tertium dicendum, quod virtus prioris est in posteriori; sed non convertitur. Cognitio autem speculativa præcedit actum voluntatis, qui est de actu exteriori; sed actus exterior sequitur actum interiori voluntatis; & ideo ratio culpæ, quæ primo in actu voluntatis est, transit ex voluntate in actum exteriori, qui sequitur; non autem in actum cognitionis, qui præcedit.

Ad quartum dicendum, quod primum non dependet ex posteriori, sed a primo causatur posterior; & quia actus voluntatis primo rationem culpæ habet, ideo, etiam exteriori actu cessante, ratio culpæ in actu voluntatis manet. Non autem sequitur ex hoc quod rationem culpæ non possit in exteriori actu (1) perducere.

Ad quintum dicendum, quod per actus exteriores manifestantur interiores, sicut causæ per effectus; unde sicut effectus participant similitudinem suarum causarum quantum possunt; ita etiam actus exteriores rationem culpæ consequuntur, quæ primo in actibus interioribus invenitur.

ARTICULUS V.

Utrum potentia animæ aliquo modo corrumpatur per peccatum.

De malo quæst. 11. art. 11.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod per peccatum nulla corruptio in potentiis animæ fiat. Primo per illud quod dicit Dionysius iv. cap. de divin. Nomin. quod data naturalia in Angelis peccantibus integra manent. Sed quod corrumpitur, non est integrum. Cum ergo peccatum hominis non sit majus peccato Angeli, videtur quod etiam in nobis nulla corruptio potentiarum naturalium per peccatum fiat.
2. Præterea. Illud quod corrumpitur, non manet idem specie. Sed homo post peccatum est idem specie qui & ante peccatum fuit. Ergo per peccatum in nullo corrumpitur.
3. Præterea. Nihil corrumpitur nisi per suum contrarium. Sed, ut in I. Physic. text. lxxvii. dicitur, Xx